

Saxoniam amissam desperatamque videret, Lubecam, Stadam cere-  
raque castra præmunit, tanquam in ijs Saxoniam Transalbianam  
defensurus.

## Annus Christi 1181.

Alexandri III Pont. 22.

Friderici I. Reg. 30. Imper. 27.

Sifridi Ep. Pad. 3.

*Arnold.  
Lubecens.  
lib. 2. c 34.  
Chron.  
Mont. Se-  
ren.  
Chron. Pe-  
gav.*

*At verò Imperator, quod Arnoldus Lubecensis Abbas scribit, pro-  
xima æstate totis rursum viribus infusus in Saxoniam; quæ altera in Leo-  
nem expeditio fuit, & trans Albim sumpta. Ac ne à tergo relinqueret  
hostes, ex insidijs incursuros; Philippum Colonensem Archiepisco-  
pum cum ceterorum Episcoporum copijs jussit servare Brunswicum  
urbem, castris circa urbem positis, ad quæ hoc anno Episcopi cum  
suis copijs redière; quantum id ex Gerhardi Stederbergensis Præpo-  
siti historia colligas. Cæsar inde Bernardum Ducem, ac fratrem ejus  
Ottonem, Marchionem Brandenburgensem, cum alijs Orientalis  
Saxoniæ Principibus Bardewici consistere voluit, & Luneburgum ca-  
strum, quod Ducis conjugi relictum ab Imperatore, circumpositis  
militum stationibus claudere; ipse autem cum robore exercitus Sue-  
vorum & Bavarorum ad Albim movit, trahens secum in comitatu  
Wichmannum Magdenburgensem Archiepiscopum, Bambergensem Episcopum,  
Abbatem Fulensem, Corbeiensem & Hersveldensem. Sub idem tempus Leo Dux Lubecam se receperat; quam ur-  
bem postquam turribus, fossis, muro, atque omni machinarum ge-  
nere præmunierat, Raceburgum concederat, cetera per ejus regio-  
nem castra firmaturus. Ibi dum per advolantes nuncios intelligit  
Cæsarem appropinquare, correpta navi indignabundus secundo Al-  
bis cursu Stadam se recipit. Cæsar, transmisso per Albim exercitu, ca-  
stra Lubecæ expugnandæ admovet, nihil territus munimento, in quo  
Simon Comes Teclenburgicus, Hermannus Comes Aldenburgicus,  
& Hermannus Comes Welpus bellaces viri cum selecto Holsatorum  
militum præsidio reliqui erant. Nec minor civium multitudo novum  
illud emporium mari assitum impleverat, quorum armis maximè  
confiderat Dux. At Cæsar, ut mari simul premeret, evocarat Walde-  
marum Daniæ Regem, qui classe in ostium Trabenæ invectus, con-  
stitut ad urbem: ipse terra aggressus brevi in eas angustias conjectit  
cives, ut missio Henrico Episcopo suo, viro sanctissimo, ad Impera-  
torem, denunciarent, hanc urbem à se recens adversus barbaros Scla-  
vos cultam præmunitamque esse Ducis beneficio, in cuius fide ideo  
persistaret; is verò si cives suos servare non posset, aut Imperatori ur-  
bem tradi vellet, paratos se ad ditionem esse. Quam in rem per-  
missus Guncelinus Comes voluntatem Ducis exquirere; qua impe-  
trata,*

*Cæsar  
Lube-  
cam obsi-  
det, & ad  
deditio-  
nem co-  
git.*